

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

Pro M. Fonteio

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

rum solemnem coetus ludorum initis: quorum iter iste ad suum questum, non ad religionum dignitatem, facientem, exigendumque curavit: teque, Ceres, & Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longè maximis, atque occultissimis caeremoniis continentur, à quibus *inisia vite*, atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data, ac dispersita esse dicuntur: quarum sacra populus Rom. à Gracis ascita, & accepta, tanta religione & publicè, & privà im tuetur, non ut ab aliis huc allata, sed ut ceteris hinc trãdita esse videantur: quæ ab isto uno sic polluta, & violata sunt, ut simulærum Cereris unum, quod à *vi* non modo tangi, sed ne adspici quidem fas fuit, è sacrario Catinæ convellendum, avertendumque curaverit: alterum autem Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit: quod erat tale, ut homines, cum viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris, non humana manu factam, sed *caelo* *de lapsum*, arbitrarentur; vos etiam, atque etiam imploro, & appello, sanctissimæ deæ, quæ illos Eanenensis lacus, lacof-

que colitis, cunctæque Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita est, præsidetis: à quibus, inventis frugibus, & in orbem terrarum distributis, omnes gentes, ac nationes vestri religione numinis continentur: ceteros item deos, deisque omnibus imploro, atque obtestor, quorum templis, & religionibus iste nefario quodam furore, & audacia instinctus, bellum sacrilegum semper, impiumque habuit indictum, ut, si in hoc reo, atque in hac causa, omnia mea consilia ad salutem sociorum, dignitatem populi Romani, fidem meam spectaverunt: si ullam ad rem, nisi ad officium, & veritatem omnes meæ curæ, vigilia, cogitationeque elaboraverunt: quæ mea mens in suscipienda causa fuit, fides in agenda, eadem vestra in iudicanda sit: denique uti C. Verrem, si ejus omnia sunt inaudita, & singularia facinora sceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis, dignis exitus ejusmodi vita, atque factis, vestro iudicio consequatur: utque respub. i meaq; fides una hac accusatione mea contenta sit: mihi que posthac bonos potius defendere liceat, quàm improbos accusare necesse sit.

M. TULLII CICERONIS

PRO

M. FONTEIO,

ORATIO VNDECIMA.

Desunt permulta.

SYNOPSIS.

Questio An. M. Fonteius repetundarum reus. Accusator M. Pletorius: Subscriptor, M. Fabius Sanga: Reus M. Fonteius. Patronus Fonteius, Cicero: Quæstor, ignoratur. Habita anno Ciceronis 38. Urbis 684.

1. Hoc prætor oppressam esse ære alieno Galliam. A quibus veritas tantarum pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus. A quibus igitur? à civibus Romanis, qui negotiantur in Gallia. Cur eorum verba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferantur? Infector ultro, atque in isto accusatori, iudices: infector, inquam, ac flagito te fideis. Plus ego in hac causa laboris, & operæ consumo in possendis testibus, quàm ceteri defensores in *refutandis*.
2. Audam iter hoc dico, iudices: non temè: è confitio. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum. nemo Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerit: nummus in Gallia nullus sine civium R. tabulis commovetur. Videte quo descendam, iudices, quàm longè videar ab consuetudine mea, & cautione, ac diligentia discedere. UNAE TABULÆ proferantur in quibus vestigium sit aliquod, quod significet, pecuniam Fonteio datam; unum 3 ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum,

aratorum, pecuariorum numero testem producant; verè accusatum esse concedam. Prò dii immortales! quæ est hac causa? quæ defensio? Provinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ conitat ex iis generibus hominum, & civitatum, qui (ut vetera mittam) partim nostra memoria bella cum populo Romano acerba, ac diuturna gesserunt; partim modò ab nostris imperatoribus subacti, modè bello domiti, modò triumphis, ac monumentis notati, modò ab Senatu agris, urbibusque multati sunt; partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum, ac manus contulerunt, multoque ejus sudore, ac labore sub populi Romani imperium, & ditionemque ceciderunt. Est in eadem provincia Narbo Mar. 3. cius, Colonia nostrorum civium. *Specula populi Romani*, ac propugnaculum, istis ipsi nationibus oppositum, & objectum, est item urbs Massilia, de qua ante dixi, fortissimorum, fidelissimorumque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula & populo Romano coris, remisq; compen-

1. *Meaque fidei, una hac accusatio* [P. Manutii edit. mea fide, unaque hac. sciãmus esse non à libris, sed ab Horomani conjectura.]

1. *Alios esse in Gallia* [Palatinus, *trãdita*. Fulvius præterea Vrsinus monuit frequentius fuisse huj. s. familie prænomen *Mactium*, quàm *Maxim*, idcirco sic perscribendum videri.]

2. *Adversus hoc dico* [Sic quoque membranz Pelatinæ: non *audam*, ut vulgo leg. tur.]

3. *Ex tota negotiatorum* [Non malè Gulielmus litera subtracta, ex *re negotiatorum*.]

4. *Ditionemque ceciderunt* [Non displicet, quod est in Palat. *trãdunt*.]

5. *Populo Romano coris remisq; compensarent* [Ita editiones veteres, nisi quod ii duabus literis *pop. Rom.* item *coris*, at illud *coris* est à Palat. cui à prima manu *coris*, nimirum Massilia coris remisq; suppeditavit Romanis, quid planius, at quid insulsius pridem vulgatis? P. R. *capio armisque*.]

farunt. est præterea numerus civium Rom. atque hominum honestissimorum. Huic provincia, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius, (ut dixi) præfuit. qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui idcirco magnis sæpe erant bellis superati, ut semper populo Rom. parerent, *magnos equitatus* ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo Rom. gerebantur, *magnas pecunias*, ad eorum stipendium, *maximum frumenti numerum*, ad Hispaniense bellum tolerandum, imperavit. Hæc qui gessit, in iudicium vocatur: vos, qui in re non interfuitis, causam unã cum populo Romano cognoscitis dicunt contra, quibus *invitissimum imperatum* est: dicunt, qui ex agris 2 ex M. Fonteji decreto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primùm audent contra M. Fonteium *inermem* consistere. Quid coloni Narbonenses? quid volunt? quid existimant? Hunc per vos volunt: se per hunc incolumem existimant esse. Quid Massiliensium civitas? hunc præsentem iis a fecit honoribus, quos habuit amplissimos: vos autem absens orat, atque obsecrat, ut sua religio, laudatio, auctoritas, aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur. Quid? civium Romanorum quæ voluntas est? Nemo est ex tanto numero, quin hunc optimè de provincia, de imperio, de sociis, & civibus meritum esse arbitretur. Quoniam igitur videtis, qui oppugnatum M. Fontajum, cognoscitis qui defensum velint: statuite nunc, quid vestra *æquitas*, quid populi Romani dignitas postulet: utrum coloni vestris, negotiatoribus vestris, amicissimis, atque antiquissimis sociis, & credere, & consulere malitis: an iis, quibus neque propter iracundiam, *fidei*; neque, propter infidelitatem, *honorem* habere debetis. Quid, si majorem hominum etiam honestissimorum copiam assero, qui hujus virtuti, atque innocentia testimonio possint esse? tamenne plus Gallorum consensio valbit, quam summæ auctoritatis hominum? Cum Gallia Fonteius præfisset, scitis, iudices, maximos populi Rom. exercitus in duabus Hispaniis, clarissimosque imperatores fuisse. Quam multi equites Romani, quam multi tribuni militum, quales, & quot, & quoties legati ad eos exercitus? præterea Cn. Pompejus maximus, atque ornatissimus hiemavit in Gallia, M. Fontejo imperante. Satisne vobis multos, satis idoneos testes, & conscios videtur, ipsa fortuna esse voluisse earum rerum, quæ M. Fontejo prætoris gererentur in Gallia? Quem ex tanto hominum numero testem in causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos jam *laudatore*, & teste utemur. Dubitabit etiam diutius, iudices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimum sit, aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi ut, M. Fontejo oppresso, testimoniis eorum, quibus multa reipub. causa *invitissimis* imperata sunt, *segniores possint ad imperandum ceteri sint*, cum videant eos oppugnari, quibus oppressis, populi Rom. imperium incolume esse non possit? Objectum est etiam, quæstum M. Fonteium ex viarum munitione fecisse: ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitionem esset, ne improbareret. Si & coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt: certe utrumque falsum est, & ob vacationem pretium datum, cum immunis nemo fuerit; & ob probationem, cum multa improbata sint. Quid, si hoc crimen optimis nominibus delegare possimus, & ita, ut non culpam in alios transferamus, sed uti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suum & præstare, & probare possunt? tamenne vos

omnia in M. Fonteium, *in iis rebus freti*, conferetis? Cum majoribus reipub. negotiis M. Fonteius impediretur, & cum ad rempubl. pertineret, viam Domitiani munire, legatis suis, primariis viris, C. Anatio Bellieno, & C. Fontejo negotium dedit. itaque præfuerunt: imperaverunt pro dignitate sua, quod vilum est, & probaverunt, quod vos, si nulla alia ex re, ex literis quidem vestris, quas scripsistis, & missis, & allatis certe scire potuistis. quas si antea non legissetis, nunc ex nobis, quid de iis rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserit, cognoscite. LITERAE AD C. ANNIUM LEG. AD C. FONTEIUM LEG. LITERAE A C. ANNIO LEG. A C. FONTEIO LEG. Satis opinor esse perspicuum, iudices, hanc rationem munitionis, neque ad M. Fonteium pertinere, & ab illi esse tractatam, quos nemo possit reprehendere. Cognoscite nunc de crimine *vinario*, quod illi invidiosissimum, & maximum esse voluerunt. Crimen à Pletorio, iudices, ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primùm venisse in mentem, ut portorium vini institueret, sed hac in Italia proposita ratione, Roma profectum. Itaque Titurium Tolosæ quatermos denarios in singulas vini amphoras *portorii nomine* exegisse: Croduni Porcium, & Numium ternos victoriatos, Vulchalone Servarum binos n. s., & victoriatos mille, atque in his locis Servarum Croduni & Vulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam, & Narbonem est, devertentur, neque Tolosam ire vellent. Elefiodolus tantum senos denarios ab his, qui ad hostem portarent, exegisset. Video, iudices, esse crimen, & genere ipso magnum, vestrali enim esse impositum frugibus nostris dicitur: & pecuniam perinamam ista ratione cogi potuisse confiteor, & invidiam. Vel maxime enim inimici hanc rem sermonibus divulgare voluerunt. Sed ego ita existimo, quo *MARVS* crimen sit id, quod offendatur esse falsum, hoc majorem ab eo injuriam fieri, qui id confingat, vult enim magnitudine rei occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditaveritati relinquatur.

Omnia de crimine vinario, de bello Voconiorum, de dispersis Hibernorum desiderantur.

At hoc Galli negant. 3 At ratio rerum, & vis argumentorum coarguit. Potest igitur testibus iudex non credere? Cupidis, & iratis, & conjuratis, & ab religione remotis, non solum potest, sed etiam debet. Etenim si, quia Galli dicunt, idcirco M. Fonteius nocens existimandus est: quid mihi opus est sapiente iudice? quid a quo quæsitore? quid oratore non stulto? Dicunt enim Galli: negare non possumus. Hic si ingeniosus, & periti, & æqui iudicis has partes esse existimatis, ut quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit: *salus ipsa verum fortum innocentiam tuere non potest*. Sin autem in rebus iudicandis, non minimam partem ad unamquamque rem astimandam, momentoque suo ponderandam, *sapientia iudicis* tenet: videre ne multo vestra majores, gravioreque partes sint ad cogitandum quam ad dicendum mea. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogandus, & sæpe etiam non interrogandus; ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. vos & sapius eandem rem animis agere, & diutius unoquoque de teste cogitare potestis: & si quem non interrogare volumus, quæ causa nobis tacendi fuerit, exultimare debetis. Quamobrem, si hoc, iudices, præscriptum lege, aut officio putatis, *testibus credere*: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior

1. Hæc qui gessit. Pal. & olim cusi, *Te qui gessit*. Nihil inquinatus hac oratione.

2. Ex M. Fonteji decreto. Sic hodie legimus, sed de conjectura Horomani. libri quippe editi olim & miss. ex G. Pompeji decreto, quod cur de-

levimus? Sane Siculis adfuisse, liquet ex Manliana cap. 10.

3. *De rebus verum esse* Socorus sum. Fæcni librisne an conjecturas nescio: tutor enim fide Lambini, desideratus scilicet editione Fæcni.

tior existimeretur. unum est enim, & simplex aurium iudicium; & promiscuè, & communiter stultis, & sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor, & credulus, ab religioso, & sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus, & conjectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur. An verò vos id in testimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod per sepe & nostra, & patrum memoria sapientissimi iudices de clarissimis nostræ civitatis viris dubitandum non putaverunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus; L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompejum, hominem novum, non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis, fidem, & auctoritatem in testimonio, cupiditatis, atque inimicitiarum suspicio derogavit. Ecquem hominem vidimus, 2. ecquem verè commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis, M. Emilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius injurati nutu prope teitarum orbis regebatur, jurati testimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum est. NOVERUNT II, qui iudicabant, hanc parère inimicitias viam, quem quilibet odisset, ut eum testimonio possit tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimoniis auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus divinum, ac singulare, iudices consilium, qui te non solum de reo, sed etiam de accusatore de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid a fortuna, ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe, aut metu depravatam, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitias profectum videretur. Quæ si iudex non amplectitur omnia consilio: non animo, ac mente circumspiciet: si, ut quicquid ex illo loco dicitur ex oraculo aliquo dicit arbitrabitur; profectò fati erit, id quod dixi antea, non iuridum iudicem huic muneri, atque officio præesse. nihil erit, quam obrem ille, nescio quis, sapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res iudicandas requiratur. An verò illi equites R. quos nos vidimus qui nuper in rep. iudiciumque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent: vos Volgarum, atque Allob. opum testimoniis non credere immetis? Si inimico testi credi non oportet, inimicior Marcello Crasso, aut Fimbria Scauro ex civilibus studiis, atque obtrectatione domestica; quam huic Galli? quorum, qui optima in causa iunt, equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum, ac sæpius in vestram dare coacti sunt: ceteri, partim ex veteribus bellis, agro multati partim ab hoc ipso, bello superati, & oppressi. Si qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit: credo majus emolumentum Cæpionibus, & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeii damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cuncta Gallia ex M. Fonteji calamitate: in qua illa provincia prope suam inimitatem, ac libertatem positam esse arbitratur. An, si homines ipsos spectare convenit (id quod in teste profectò valere plurimum debet) non modò cum summis civitatis nostræ viris sed cum infimo cive Rom. quisquam amplissimus Galia comparandus est? scit Indutiomarus, quid sit testimonium dicere? movetur eo timore, quo no-

strum unusquisque, cum in eum locum productus est? Recordamini, iudices, quantoperè laborare soleatis, non modò quid dicatis pro testimonio, sed etiam, quibus verbis utamini, nequod minùs moderatè positum, nequod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur. Vultu denique laboratis, nequa significari possit suspicio cupiditatis: ut &, cum proditis, existimatio sit quadam tacita de vobis pudoris, ac religionis: &, cum disceditis, ea diligenter conservata, ac retenta videatur. Credo hæc eadem Indutiomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, ARBITROR, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia s. s. scribere dixit. Verebatur enim videlicet, nequid apud vos populumque Rom. de existimatione sua deperderet; neque iam consequeretur ejusmodi, Indutiomarum, talem virum, tam cupidè, tam temerè dixisse, non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocem, & os, & audaciam neque civibus suis, neque accusatoribus nostris præstare debere. An verò istas nationes, religione jurisjurandi, ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum à ceterarum gentium more, ac natura dissentiant, quod cetera pro religionibus suis bella suscipiunt, ista contra omnium religiones. illa in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem, ac veniam petunt: ista cum ipsis diis immortalibus bella gerunt. Hæc sunt nationes, quæ quondam tam longè ab suis sedibus, Delphos usque, ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum, ac spoliandum profecta sunt. Ab iisdem gentibus sanctis, & in testimonio religiosis, obfessum Capitolium est, atque ille Jupiter, cuius nomine majores nostri vindam testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremò his quidquam sanctum, ac religio- tum videri potest: qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humani hostiis eorum aras, ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam prius scelere violarint. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem retinere illam immanem, ac barbaram consuetudinem hominum immolatorum? Quam obrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine facillimè posse placari? cum his vos testibus vestram religionem conjungetis? ab his quidquam sanctè, aut moderatè dictum putabitis? hoc vestra mentes tam casta, tam integræ sibi suscipiant, ut, cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt, ac equites R. qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provincie: denique omnes, in Gallia qui sunt, socii populi Rom. atque amici, M. Fontejum incolumem esse cupiant, jurati pro vobis, & publicè laudens: vos tamen cum Gallis jurare malitis? quid ut secuti esse videamini? voluntatemne hominum? Gravior igitur vobis erit hostium voluntas, quam civium? an dignitatem testium? potestis igitur ignotos nos, iniquos æquis, alienigenas domesticis cupidus moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosos, inimicissimos huic imperio, ac nomini, bonis ac fidelibus, & sociis, & civibus anteferre? An verò dubitatis, iudices, quin infitas inimicitias ista gentes omnes & habeant, & gerant cum populi Rom. nomine? sic existimatis eos hic sagatos brachatosque versari, animo demisso, atque humili, ut solent ii, qui affecti injuriis ad opem ju-

dicum

1. Conjectura & cogitatione traduntur. Lambinus edidit conjectura & cogitatione, sed de conjectura Hotomani, accedit proprius libris divinitio Gulielmii, probatur.

2. Ecquem verè commemoratis, &c. Mallet Gulielmus verè, quid si fuerit.

dicum supplices, inferioresque confugiunt? Nihil verò minus. Hi contra vagantur laeti, atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis, & barbaro, atque immani terrore verborum: quod ego profecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul, iudices, audissem: cum præciperent, ut caveretis, ne, hoc assoluto, novum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fonteium, iudices, in causa deficerent omnia: si turpi adolescentia vita infami, magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, malè gessit, legationibus flagitiose obitis, convictus virorum bonorum testimonio, invitus suis omnibus, in iudicium vocaretur: si in eo iudicio colonorum populi Romani Narbonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium, civium Rom. omnium testimonio, tabulisque premeretur: tamen esset vobis magnoperè providendum, ne, quos ita afflictos à vestris patribus, maioribusque accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorum minis, & terrore commoti esse videremini. Nunc verò, cum lædatur nemo bonus, laudent omnes vestri cives, atque socii: oppugnent ii, qui sæpissimè hanc urbem, & hoc imperium oppugnant: cumque inimici M. Fonteii vobis, ac populo Romano minentur: amici, ac propinqui supplicent vobis: dubitabit non modo vestris civibus, qui maxime gloria, ac laude ducuntur, verum etiam exteris nationibus, ac gentibus offendere, vos in sententiis ferendis civi parere, quam hosti cedere maluisse? Magna mehercule, causa, iudices, absolutionis cum ceteris causis hæret, nequa insignis huic imperio macula, atque ignominia suspicietur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, tenatum, equum lege populi Romani: non testimonio Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem iudicasse. Ita verò, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Induriomaro isti, minaci, atque arroganti, par in belligerando esse possit: excitandus Cn. Domitius, & Q. Maximus, qui nationem Allobrogum, & reliquas suis iterum armis conficiat, atque opprimat: aut, quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus, M. Pletorius, ut suos novos clientis à bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribilem impetum deprecetur: aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorem ejus rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen est amplissimum: ut velint isti aut quiescere, id quod victi, ac subacti solent: aut, cum minantur, intelligere, se populo Romano non metum belli, sed spem triumphi ostendere. Quod si in turpi reo patiendum non esset, ut quidquam isti se minis profecisse arbitrarentur: quid faciendum vobis in M. Fonteio arbitramini? de quo homine, iudices, (jam enim mihi videor hoc, prope causa duabus actionibus perorata, debere dicere,) de quo vos homine, ne ab inimico quidem ullum fictum probrosum non modo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. Ecquis unquam reus, præsertim in hac vitæ ratione versatus, in honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis, sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudine, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore objiceretur, si non vera, attamen ficta cum aliqua ratione ac suspicione? M. Æmilium Scaurum, summum nostræ civitatis virum, scimus accusatum à M. Bruto. extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta, & falso, quis negat? verum tamen ab inimico dicta, & objecta. Quam multa M. Aquilius audivit in suo iudicio? quam multa L. Cotta? denique P. Rutilius, qui est damnatus est, mihi videtur tamen inter viros optimos, atque inter innocentissimos esse numerandus. Ille igitur ipse homo sanctissimus, ac temperantissimus, multa audivit in sua causa, quæ ad suspensionem stuprorum, ac libidinum pertinerent. Exitat ora

tio hominis (ut opinio mea fert) nostrorum hominum longe ingeniosissimi, atque eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione perculsa in L. Pisonem turpia, ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. quem cum in concione Gracchus vocari juberet, & viator quæteret, quem Pisonem? quod erant plures: *cogit me*, inquit, *dicere inimicum meum, Frugi*. Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset: qui upo cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset, tamen in falsam, atque iniquam probrosum insinuationem vocabatur. M. Fonteius ita duabus actionibus accusatus est, ut objectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantia, crudelitatis, audacia possit non modo nullum facinus hujus protulerunt, sed ne *dictum* quidem aliquod reprehenderunt. Quod si, aut quantum voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantum ad maledicendum licentiam, tantum haberent, aut ad ementendum, animi; aut ad fingendum, ingenti; non meliore fortuna ad probra non audienda Fonteius, quam illi, de quibus antea commemoravi, fuisset. Frugi igitur hominem, iudices, Frugi, inquam, & in omnibus vitæ partibus moderatum, ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestra fide ac potestate: atque ita, ut commissus sit fidei *permissus* potestati. Videte igitur, utrum sit æquus, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum, dedi inimicissimis, atque immanissimis nationibus, an reddi amicis: præsertim cum tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent: primum *generis antiquitas*, quam Tusculo ex clarissimo municipio profectam, in monumentis rerum gestarum incisam, ac notatam videmus; tum autem *continua prætura*, quæ & ceteris ornamentis, & existimatione innocentia maxime floruerunt: deinde recens *memoria parentis*, cujus sanguine non solum Alculanorum manus, à qua interfectus est, sed totum illud sociale bellum macula si ceteris imbutum est: postremo ipse cum in omnibus vitæ partibus honestus, atque integer, tum in re militari cum summi consilii, & maximi animi, tum verò usu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui nunc sunt, exercitatus. Quare si etiam monendi estis iudices, à me, quod non estis, videor hoc leviter pro mea auctoritate vobis præcipere posse, ut ex eo genere homines, quorum cognita *virtus, industria, sollicitas in re militari* sit, diligenter vobis retinendos existimetis. Fuit enim majorum virorum in hac repub. copia: quæ cum esset, tamen eorum non modo salutem, sed etiam honorem consulebatur. Quid nunc vobis faciendum est, studiis militaribus apud juventutem obsoletis; hominibus autem, ac summis ducibus partim ætate, partim civitatis discordiis, ac reipubl. calamitate consumtis? cum tot bella aut à nobis necessariò incipiunt, aut subito, atque improvisa nascantur? nonne & hominem ipsum ad dubia reipubl. tempora referendum, & ceteros studia laudis, ac virtutis inflammandos putatis? Recordamini, quos legatos nuper in bello L. Julius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompejus haberit. scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, prætorios homines, belli gerendi peritissimos: præterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Crassum, non *literis* homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis, ac victoriis eruditos. Agè verò, nunc inferte oculos in curiam, introspicite penitus, in omnes reipubl. partes, utrum videtis nihil posse accidere, ut tales viri desiderandi sint? an, si acciderit eorum hominum copia populum R. abundare? Quæ si diligenter attendetis, profecto, iudices, *ipsum* ad labores belli impigrum, ad pericula

ricula fortem: ad usum, ac disciplinam. peritum: ad consilia, prudentem: ad casum, fortunamque, felicem, domi vobis, ac liberis vestris retinere, quam inimicissimis populi Rom. nationibus, & crudelissimis tradere, & condemnare maleis. At inestis propè signis inferuntur Galli in Fontejum: & instant, atque urgent summo cum studio, summa cum audacia. r nos verò, iudices, non & multis, & firmis praediis, vobis adiutoribus, isti immani, atque intolerandæ barbariæ resistemus? Primum obicitur contra istorum impetus Macedonia fidelis, & amica populo Rom. provincia: quæ cum se, ac suas urbes non solum consilio, sed etiam manu Fonteii conservatam esse dicat, ut illa per hunc à Thracum adventu, ac depopulatione defensa fuit: sic ab hujus nunc capite Gallorum impetus, terroresque depellit. Constituitur ex altera parte ulterior Hispania, quæ profectò non modò religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominum perjuræ testimonii ac laudationibus suis refutare. Atque ex ipsa etiam Gallia fidelissima, & gravissima auxilia sumantur. Venit huic subsidio, misero, atque innocenti, Massiliensium cuncta civitas, quæ non solum ob eam causam laborat, ut huic, à quo ipsa servata est, parem gratiam referre videatur: sed etiam, quod ea conditione, atque eo facto se in his terris collocatam esse arbitrat, ne quid nostris hominibus illæ gentes nocere possint. Pugnât pariter pro salute M. Fonteii Narbonensis colonia, quæ per hunc ipsa nuper oblidione hostium liberata, nunc ejusdem miseris, ac periculis commovetur. Denique, ut oportet bello Gallico, ut majorum jura, moresque præscribunt, nemo est civis Rom. qui sibi *ulla excusatione utendum* putet. omnes illius provincie publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negotiatores, uno animo M. Fontejum, atque una voce defendunt. Quòd si tantas auxiliorum nostrorum copias Induriomarus ipse despexerit, dux Allobrogum, ceterorumque Gallorum: num etiam de *matris* hunc complexu, lætissimæ, miserimæque foemina, vobis inspectantibus avellet, atque abstrahet? præsertim cum *virgo Vestalis* ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramque, iudices, ac populi Rom. fidem imploret: quæ pro vobis, libertisque vestris tot annos in diis immortalibus placandis oc-

cupata est, ut ea, nunc pro salute sua, fratrisque sui, animos vestros placare possit. cui miseræ quod præsidium, quod solarium reliquum est, hoc amisso? nam ceteræ feminæ *gignere ipsa sibi præsidia*, & habere domi fortunarum omnium *secum*, participemque possunt: huic verò virgini, quid est, præter fratrem, quod aut jucundum, aut carum esse possit? Nolite pati, iudices, aras deorum immortalium, vestraque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri. Prospicite, ne ille ignis æternus, nocturnis Fonteie laboribus, vigilisque servatus, sacerdotis vestrae lacrymis extinctus esse dicatur. Tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices, eadem, quas pro vobis diis immortalibus tendere consuevit. cavete, ne periculosum, *superbumque* sit, ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si dii aspernantur, hæc salva esse non possent. Videtisne subito, iudices, virum fortissimum, M. Fontejum, parentis, & fororis commotatione lacrymas profudisse? Qui numquam in acie pertimuerit, qui se armatus sæpe in hostium manum multitudinemque immiserit, cum in ejusmodi periculis eadem se *solacia suis relinquere* arbitretur, quæ suus pater sibi reliquisset: idem nunc perturbato animo pertimescit, ne non modo ornamento, & adjumento non sit suis, sed etiam cum acerbissimo luctu dedecus æternum miseris, atque ignominiam relinquat. O fortunam longè disparem, M. Fonteii, si deligere potuisses, ut potius *reli* tibi Gallorum, quàm *perjuris* intereundum esset. tum enim vitæ socia *virtus*, mortis comes *gloria* fuisset. nunc verò qui est dolor, victoriae te, atque imperii poenas ad eorum arbitrium sufferre, qui aut victi armis sunt, aut invitissimi parauerunt? A quo periculo defendite, iudices, civem fortem, atque innocentem: curate, ut *nostris* testibus plus, quàm alienigenis credidisse videamini: plus salutis civium, quàm hostium libidini consuluisse: graviorem duxisse ejus obsecrationem, quæ vestris sacris præsit, quàm eorum audaciam, qui cum omnium sacris, delubrisque bella gesserunt. postremò prospicite, iudices, id quod ad dignitatem populi Romani maximè pertinet, ut plus apud vos preces virginis Vestalis, quàm *misera* Gallorum valuisse videantur.

M. TULLII CICERONIS

PRO

A. CÆCINA,

ORATIO DUODECIMA.

SYNOPSIS.

Quaestio, An Cæcina ab Æbutio interdicto unde vi sit restituendus? Actor seu vi dejectus, Aulus Cæcina: Cæcina patris natus Cicero: Res Æbutius. Recuperatores, Iudices à prætore Dolabella dati. A. d. circiter annum urbis 683.



I, QUANTVM in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in iudiciis impudentia valeret: non minus nunc in causa cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentia, quàm tum in vi faciendi cessit audacia. Verùm & illud considerari hominis esse putavit, QVA DE RE jure de-

certari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis, qui cum vi, & armis certare noluisse, eum jure, iudicioque superare. Ac mihi quidem cum auctor præcipue fuisse videtur Æbutius in convocandis hominibus & armandis: tum impudens in iudicio: non solum quòd in iudicium venire ausus est (nam id quidem, tametsi improbè sit in aperta re, tamen *maiestas est jaro usitatum*) sed quòd

A 2

1. Nec vero, iudices, non multis & firmis praediis. Sic quidem edicio Victorii, nam antiquissimè desiniturur negatiua. Pal. no-

ster, solum habet; audacia. *Videò iudices, & multis & infirmi praediis.*